

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

University of Toronto

Level Two Medieval Latin Examination

19 April 2017

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. **Otto of Freising (preface to *Gesta Friderici*)**

Omnium qui ante nos res gestas scripserunt hec, ut arbitror, fuit intentio: virorum fortium clara facta ob movendos hominum ad virtutem animos extollere, ignavorum vero obscura facta vel silentio subprimere vel, si ad lucem trahantur, ad terrendas eorundem mortalium mentes promendo ponere. Unde hoc tempore scribentes quodammodo iudico beatos, dum post turbulentiam preteritorum non solum pacis inaudita reluxit serenitas, sed et ob victoriosissimi principis virtutes tanta Romani imperii pollet auctoritas, ut et sub eius principatu gens vivens humiliter silendo conquiescat, et barbarus quique vel Grecus, extra terminos ipsius positus, auctoritatis eius pondere pressus contremiscat. Fateor, dum ante aliquot annos priorem historiam terminassem, spiritusque peregrini Dei ad sumenda contra gentes que orientem inhabitant arma totam pene Hesperiam afflasset, pro pacis iocunditate, que orbi momentanee tunc arriserat, stilum vertere cogitaram, iamque scribere ceperam, sed, quo instinctu nescio, tamquam animo futura presagiente finemque inspiciente ceptum proieci opus.

2. Jerome to Augustine (Ep. CV)

Domino uere sancto et beatissimo papae Augustino Hieronymus. Crebras ad me epistulas dirigis et saepe conpellis, ut respondeam cuidam epistulae tuae, cuius ad me, ut ante iam scripsi, per fratrem Sisinnium diaconum exemplaria peruenerunt absque subscriptione tua et quae primum per fratrem Profuturum, secundo per quendam alium te misisse significas, et interim Profuturum retractum de itinere et episcopum constitutum ueloci morte subtractum, illum, cuius nomen retices, maris timuisse discrimina et nauigationis mutasse consilium. Quae cum ita sint, satis mirari nequeo, quomodo ipsa epistula et Romae et in Italia haberi a plerisque dicatur et ad me solum non peruenerit, cui soli missa est, praesertim cum idem frater Sisinnius inter ceteros tractatus tuos dixerit eam se non in Africa, non apud te, sed in insula Hadriae ante hoc ferme quinquennium repperisse.

3. The election of Gregory VII

Regnante Domino nostro Iesu Christo, anno clementissime incarnationis eius millesimo LXXIII, indictione et luna XI, decimo Kalendas Maii, feria secunda, die sepulture domni Alexandri bone memorie secundi pape, ne sedes apostolica diu lugeat proprio destituta pastore, congregati in basilica beati Petri ad Vincula nos sancte Romanę catholicę et apostolicę ecclesie cardinales clerici, acoliti subdiaconi diaconi presbyteri, presentibus venerabilibus episcopis et abbatibus, clericis et monachis consentientibus, plurimis turbis utriusque sexus diversique ordinis acclamantibus, eligimus nobis in pastorem et summum pontificem virum religiosum, gemine scientie prudentia pollentem, equitatis et iustitie prestantissimum amatorem, in adversis fortem, in prosperis temperatum et iuxta apostoli dictum bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, hospitem, domum suam bene regentem, in gremio huius matris ecclesie a pueritia satis nobiliter educatum et doctum atque pro vite merito in archidiaconatus honorem usque hodie sublimatum, Heldibrandum videlicet archidiaconum, quem ammodo et usque in sempiternum et esse et dici Gregorium papam et apostolicum volumus et approbamus.

4. Henry of Avranches: the paradoxical contest of life and death on the Cross

Crux quasi campus erat, serpens et Adam quasi partes,

mors et uita quasi pugiles—O nobile bellum,

O felix campus, ubi mors et uita duello

confluxere pari naturalique triumpho

mors superata fuit! Vel enim pulsata recurrit

uel constans natura manet cuiuslibet entis.

In Crucis hoc igitur bello (quia contigit ille

motus et illa quies), uite natura recurrit

et mortis natura manet; se uita resumpsit,

se mors conseruat, et permanet utraque secum.

Post Ade lapsum, de iure decebat ut aut mors

uiuere, aut uita moreretur, et in Cruce uita

mortua, ne sineret in nobis uiuere mortem,

mortem uiuentem uita moriente peremit.

In Cruce prostrauit mors uitam uitaque mortem:

mors uitam uita priuauit uitaque mortem

morte trucidauit; set uita uita carere

non longum potuit; mortem mors semper habebit.